

autem a littore currit Brenta, fluvius descendens de Padua, in quem
navem, in qua veneramus, spectabili ingenio transtulerunt, extra-
hentes eam de mari in fluvium; nam super littus fluvii in alto
aedificio ligneo sunt rotae magnae et de aedificio est descensus
aliqualis usque ad mare, per quem descensum trabibus et asseri-
bus est planata via et vehiculum quoddam grande navibus pro-
portionatum. Advenientibus navibus de Venetiis dimittitur in funi-
bus per circumvolutionem rotarum deorsum ab aedificio ad mare,
et absque magno labore gravis navis de mari vehiculo infertur,
sicque vehiculum cum navi de mari sursum trahitur in Brentam,
nec laborat ibi nisi unus homo, qui in rota currit volvens eam.
Statim autem navi de vehiculo Brentae injecta assunt equi, quorum
tractu naves sursum contra aquam trahunt usque in Pataviam, si-
cuit naves Colonienses trahuntur per equos sursum per Rhenum
usque Moguntiam. Est autem Brenta fluvius de Alpibus descen-
dens et Patavium percurrens; cum prope mare venit, per littus
ejus ad longum spatium ascendit et diu differt ingressum quasi
quaerens locum effugiendi mare, sed tandem ipsi illabitur, sicut
et caetera flumina. Ad navem ergo nostram resedimus et
per Brentam sic in nocte ascendimus et sedendo dormivimus
usque mane.

De civitate Paduana.

Duodecima die ad Patavinam urbem venimus mane et hospi-
tium unius Teutonici ingressi res nostras viales deposuimus et
primo omnium ad S. Augustinum, ubi est conventus Praedicatorum,
transivi, Priori me praesentavi. Aestimabat autem Prior, me esse
Graecum fratrem, propter prolixam barbam, quam habebam, et
viso conventu in hospitium ad socios redii et prandio sumto urbem
gyravimus et per ecclesias pervagati sumus et insignia ejus ci-
vitatis vidimus, sicut in ejus descriptione patet.

Patavina civitas, quam Ptolemaeus nominat Oppibergium et
nunc Padua, a Teutonicis Badua dicta, est urbs vetustissima, ab
Antenore Trojano condita ante Christi nativitatem annis mille du-
centis. Qui Antenor dum regnasset apud Trojanos XXIV annis,
Hectoris filii eum repulerunt de regno, qui cum duobus millibus

Ende

Anfang